





DE LOCIS

IN

ISOCRATIS AD NICOCLEM

ORATIONE PROPTER EA,

QUAE IN ORATIONE DE ANTIDOSI EX ILLA REFERUNTUR,

FALSO SUSPECTIS.

Scripsit

C. A. F. BRÜCKNER,

Gymnasii Suidnicensis Prorector.



Suidnicii.

Typis Ludovici Heegii.

1852.

Quae de antidosi est Isocratis oratio, quum hoc ab eo consilio perscripta esset, ut calumnias, quibus a multis obtrectatoribus suis petitus erat, redargueret et confutaret, singulares quasdam priorum orationum partes in eam recepit, quae in judicio, in quo dicentem se facit,[1] recitarentur. Unde in mutilatis quoque orationis de antidosi exemplis, quae usque ad annum hujus saeculi duodecimum sola ferebantur, satis amplae et Panegyrici et Symmachici partes exstabant, quarum contextus ab illarum ipsarum orationum exemplis non multum differret. Quibus locis, integra de antidosi oratione reperta,[2] ex orationibus quoque ad Nicoclem et contra sophistas compositis partes quaedam accesserunt, quibus eodem Isocrates consilio in oratione de antidosi locum esse voluerat. E quibus locis qui depromptus est ex oratione contra sophistas, cum hujus fere contextu conspirat, ex oratione vero ad Nicoclem qui receptus est in orationem de antidosi p. 53—58 ed. Orell., longe ille quidem contractior est, multisque locis, qui sunt in oratione ad Nicoclem, caret. Neque fugere ea discrepantia quemquam poterat, qui utramque orationem accuratius legisset. Offecisse autem doctorum hominum, talia raro negligentium, studiis videtur, quod Imm. Bekkerus, codicis Urbinatis in hoc quoque auctoritatem secutus, locos illos, e prioribus orationibus exscriptos, non integros in oratione de antidosi excudendos curavit, sed e primis tantum et postremis verbis eorum descripsit. Sola igitur si quis Bekkeriana oratorum Atticorum editione utitur, neque quae notata sunt ad orat. ad Nic. § 14—39 diligentius inspexerit, ei in mentem vix veniet, in oratione de antidosi, ubi locus ille exscriptus exstat, brevitati Isocratem adeo

---

[1]) Fictam enim, non veram esse causam, quam agat, ipse dicit de antid. § 8, quamquam re vera eum antea reum factum esse de trierarchia repudiata et condemnatum e § 4 et 5 apparet.

[2]) Factum hoc esse constat ab Andrea Mustoxyde, qui, quum Italiae bibliothecas perlustraret, in duobus codicibus, Ambrosiano et Laurentiano, integram illam orationem invenit inventamque continuo (Mediolani a. 1812) in lucem edidit; quam editionem mox duae Orellianae (Turici 1814) secutae sunt. Vid. Mustoxyd. Epistol. ad Koraëm ap. Orellium p. XXVI et XXVIII.

studuisse, ut eorum, quae contineret ille locus, non ultra dimidiam partem referret. Neque fuit, quod equidem sciam, ante Ed. Benselerum, qui ea de re diligentius quaereret. Is autem quum post accuratum studium, quod ad Isocratis orationes et vernaculo sermone interpretandas et singularibus quibusdam editionibus illustrandas contulerat, librum illum de hiatu apud pedestris orationis scriptores aut admisso aut vitato ederet, et paraenesin ad Demonicum Isocratis quidem Atheniensis opus, sed propter memorabiles quosdam hiatus vario modo interpolatam esse judicasset, simile quid etiam in oratione ad Nicoclem, quamquam ejusmodi ibi non deprehendebantur hiatus, accidisse suspicatus, ex ea oratione § 14—39 qui in oratione de antid. non legerentur loci, eos omnes pro spuriis et suppositiciis habuit. Neque neglexit afferre, cur ita statueret (de hiatu p. 37—39). Haec tamen quum minus probabilia videantur, neque rei ita instituta sit tractatio, ut institui fortasse debebat, quaestionem illam jam denuo tractare mihi liceat, qui neque suspectos habeam, quos Benselerus voluit, orationis ad Nicoclem locos, neque negem tamen, ipso Isocrate auctore factum esse, ut in orationis de antidosi exemplis omitterentur. De qua re sic fere disputandum fuerit, ut primum omnes illos locos, e Panegyrico, Symmachico et ad Nicoclem et contra sophistas orationibus desumtos, quamquam in codice Urbinate primis tantum et extremis verbis denotantur, tales tamen, quales, uti simulat, in judicio recitari voluisset auctor, etiam in orationis de antidosi exemplis exstitisse, deinde ut Isocrati ipsi, quum orationem de antidosi conscriberet, ea, quae ex oratione ad Nic. laudaret, cur in compendium redigeret, non causas defuisse demonstretur, denique ut de Benseleri illis suspicionibus quid statuendum sit explicetur.

Codicis Urbinatis si quis ceteroquin probata praestantia confisus, inde quod locos illos ibi non significatos nisi ab initio et exitu invenisset, nihil iis cum ipsis orationibus discrepantiae fuisse argumentaretur, erroris facile convinci posset. Orationem enim de antidosi qui praeter Urbinatem integram habent codices, Ambrosianus, Laurentianus et Vaticanus, ut in reliquis locis referendis ita in hoc ex oratione ad Nic. sumto fere consentiunt. Unde primum hoc constat, locum eum in oratione de antidosi, quousque patet codicum auctoritas, talem fuisse, qualis nunc est, iisdem igitur verbis vel omissis vel transpositis, quae hodie vel omissa vel transposita sunt. Quodsi igitur, quod Bekkerus judicavit, Urbinas ad eandem cum Vaticano originem revocandus est, quod eadem sit in extrema oratione de antidosi utriusque lacuna (vid. Bekk. ad orat. de antid. § 320), fieri non potuit, quin in primario illo exemplo, ex quo descriptus uterque codex fuerit, loci etiam illi e Paneg. Symmach. ad Nic. et contr. soph. or., quales in reliquis quoque codicibus exstant, reperirentur, sin vero e diverso fonte repetendus est, cogitari tamen non potest, reliquos codices, qui integram habent de antidosi orationem, in ea re inter se conspiraturos fuisse, nisi in codicibus jam multo vetustioribus illi loci exstitissent. In codice igitur Urbinate sive in eo, unde originem duxit, quod omissa est plenior illorum descriptio, non alia causa videtur fuisse, nisi ut aut operae scribendi aut chartae parceretur. Plus enim aequo exegeris a librariorum diligentia, si propter illam, quae in orationis ad Nicoclem loco fuit, diversitatem, laborem sive molestiam scribendi eos minus defugisse statuas.

Sed in codice etiam Urbinate quae notationes exstant locorum e reliquis orationibus laudatorum, ita comparatae sunt, ut ad ipsarum illarum orationum exempla non revocari possint. Compellans enim scribam, sive quisquis est, a quo orationem ad Nicoclem recitari vult, haec dicit orator: *Ποιησάμενος οὖν ἀρχὴν ἣν ἐγὼ τελευτήν, ἀνάγνωθι καὶ τούτου τοῦ λόγου τὸ λοιπὸν μέρος αὐτοῖς.* Quorum verborum si quis sententiam sequatur, facere non poterit, quin totam reliquam orationis partem intelligat. Notationes igitur illas, quae sunt in codice Urbinate, qui confecit, plane conficere non potuisset, nisi ipsum illum, qualis ex orat. ad Nic. in orat. de antidosi receptus esset, locum ante oculos habuisset. Idem docemur exitu loci ex oratione ad Nicoclem laudati. Qui quum non conspiret in cod. Urb. cum ipsius ad Nic. orationis contextu, sed cum exemplis orationis de antidosi, quae reliquis codicibus servata sunt,[8.]) haec ei, qui exitum hoc modo describebat, ante oculos tuisse apparet. Denique res etiam manifestior fit, ubi ex Symmachico sive de pace oratione qui laudatus est locus comparatur. Qui quibus finibus circumscribendus esset, his tantum verbis orator significavit: *Λαβὼν οὖν ἀρχὴν ταύτην, ὅθεν διαλέγομαι περὶ αὐτῶν, ἀνάγνωθι καὶ τοῦτο τὸ μέρος αὐτοῖς.* Apparet autem ex sequentibus notationibus, duas partes esse, quas recitari jubeat orator, alteram § 25—56, alteram § 133 usque ad exitum orationis. Jam quod significato prioris partis ambitu ita pergitur: *εἶτ' ἐξελὼν τὰ μέσα συνῆψεν οὕτως* et quod quae sequuntur verba *Τίς οὖν ἀπαλλαγὴ* etc. in oratione de antid. § 132 et 133 vario modo mutata sunt, quid aliud significat, quam dudum ante quam notationes illae, quae in cod. Urb. exstant, conficerentur, locum ita ut in reliquis codicibus est, in orat. de antid. exemplis descriptum exstitisse?

Locorum vero, e reliquis orationibus Isocratis in orationem de antidosi receptorum, qualis in codice Urbinate reperitur, circumscriptio si ab eo facta est, qui exemplis uteretur, in quibus integri illi continerentur, ipsa inserendorum eorum opera vix ad alium atque ad ipsum Isocratem revocari poterit. At vero, opposuerit aliquis, horum locorum num alia ratio est atque eorum, qui passim exstant in oratorum Atticorum operibus, vel publica decreta, vel leges vel alius generis testimonia repraesentantes, quae fraudi aliorum deberi nunc fere omnes consentiunt? His aliam eorum sanequam rationem esse respondemus. Isocratis enim de antidosi quum ficta tantum, non coram ipsis judicibus acta causa esset, neque oratio ab eo perscripta, nisi ut defendendae inde vitae et disciplinae aliquam opportunitatem consequeretur, facere non poterat, quin e prioribus orationibus, quibus ad calumniandum abusi fuerant adversarii, ipsos illos locos, quos ad convincendos illos adhibuisset, in contextum orationis reciperet, nisi forte existimamus, eum hoc, quod plurimi ipsius intererat ut fieret, et quod ut fieret continuo efficere poterat, eorum reliquisse arbitrio, qui ipsas ejus orationes consulere iisdemque bona fide uti vellent. Orationum enim illarum si ab adversariis Isocratis ea, quae debebat, ratio

---

8.) Verba enim *χρῶ τοῖς εἰρημένοις ἢ ζήτει βελτίω τούτων,* quae extremum illum locum conficiunt antid. § 73 ante verba *σοφοὺς νόμιζε — λέγοντας* in ipsa ad Nic. oratione leguntur. Cod. Urbinas autem extremum illum locum ita significat: *μέχρι τοῦ „σοφοὺς νόμιζε — βελτίω τούτων.*

habita fuisset, calumniarum, quibus famae ejus obtrectatum erat, spargendarum omnino copia nulla fuisset. Quae igitur omitti commodius poterant in oratione coram judicibus habenda, in quo recitarentur vere, quae iis, qui in judicio adessent, in memoriam revocata vellet orator, ea non reticenda erant in ea oratione, quae privatis hominibus intra domesticos parietes legenda scriberetur.

Sed hinc etiamsi credibile fit, Isocratis ipsius opera factum esse, ut tum reliqui loci tum ille ex oratione ad Nicoclem desumtus in orationem de antidosi traducerentur, tantum tamen abest, ut quae contextus est discrepantia, suppositicia quae desunt in oratione de antidosi esse arguat, ut nihil inde nisi contrahendi illius loci in breviorem summam consilium auctoris appareat. Quod in reliquis orationibus si minus agendum sibi esse putavit, causa videlicet in eo quaerenda est, quod non eadem earum ratio erat. Haec igitur quae fuerit, sive quid perpulerit oratorem, ut haec tantum, quae recepta videmus in orationem de antidosi, ex oratione ad Nic. delibaret, in altera jam commentationis parte explicandum erit.

Isocrates ipse quid egerit, quum prioribus orationibus suis ad diluendas adversariorum criminationes uteretur, de antid. § 54 his verbis declaravit: *Αὐτοὺς γὰρ ὑμῖν δείξω τοὺς εἰρημένες ὑπ' ἐμοῦ καὶ γεγραμμένες, ὥστ' οὐ δοξάσαντες, ἀλλὰ σαφῶς εἰδότες, ὁποῖοι τινές εἰσι, τὴν ψῆφον οἴσετε περὶ αὐτῶν. ἅπαντας μὲν οὖν διὰ τέλους εἰπεῖν οὐκ ἂν δυναίμην. ο γὰρ χρόνος ὁ δεδομένος ἡμῖν ὀλίγος ἐστίν· ὥσπερ δὲ τῶν καρπῶν ἐξενεγκεῖν ἑκάστε δεῖγμα πειράσομαι. μικρὸν γὰρ μέρος ἀκούσαντες ῥᾳδίως τό τ' ἐμὸν ἦθος γνωριεῖτε καὶ τῶν λόγων τὴν δύναμιν ἁπάντων μαθήσεσθε.* Itaque orationibus quidem suis pro testimoniis usurus est, sed ita ut specimina tantum ex iis velut fructus quosdam exhibeat. Parva enim parte cognita fore ait, ut tum ingenii sui tum orationum natura appareat. Quem igitur in universis illis locis repetendis delectum habuit, eundem in oratione ad Nicoclem usurpanda etiam in singulis habendum putavit, satis fortasse in eo se defendi ratus tum universae illius orationis natura tum singulorum, quos omisisset, locorum ratione.

Isocratis ad Nicoclem oratio paraenesis erat (§ 54), in qua, quemadmodum regnandum esset (*ὡς δεῖ τυραννεῖν* § 2), praecepta (*ὑποθῆκαι* § 3) exhiberentur, similia fere iis, quae Hesiodus olim, Theognis et Phocylides in communem hominum usum ediderant[4]) (§ 43). Cujus paraenesis scribendae quum ipse ille rex Salaminiorum Isocrati non auctor fuisset (vid. § 1. 8. 54), orator non solum illi ipsi sed civibus quoque ejus consultum voluerat. Unde postquam, quanta necessitas imposita esset regibus, ingenii ad virtutem conformandi, expositum est, de singulis agitur virtutibus, quemadmodum exercendae videantur. Humanitatem igitur et comitatem requiri, ut quis ipse iis laetetur, quibus provideat. Paucorum quoque imperium et quae reliquae sint civitatum formae, eo diutius permanere, quo melius multitudini consulatur (§ 16). Populus neque ut frena quaeque exuat neque ut aliorum serviat libidini, committendum esse. Respu-

---

[4]) Cfr. de toto hoc genere Bernhardy hist. lit. Graec. T. II, p. 358. 368. 372 et T. I, p. 66.

blica ut bene constituta sit, optimos honore, reliquos non injuria afficiendos esse. In edictis et legibus non omittendum esse, quod vel conveniens vel justum videatur (17) Quaestus legitimi faciendi opportunitates juvandas, negotiorum aliis facessendorum libidinem compescendam, causas vero lege et jure disceptandas esse (18). Regia magnificentia, curandum esse diligentia et parsimonia, ne subsidiis necessariis destituatur, et monumenta ea condenda, quae honestam memoriam pariant (19). In rebus sacris instituta sequenda esse majorum, fidemque et probitatem, non obliviscendum, plus splendidis sacrificiis apud deos valere (20). Amicorum virtute, civium benevolentia ipsiusque principis consilio et sapientia maxime praestari imperii cujusque et incolumitatem et diuturnitatem, neque a regis salute civium salutem sejungi posse (21). Verba principis nuda plus fidei habere debere quam alii quae jurejurando affirmaverint (22). Peregrini, providendum esse, ut securi habitent, et ut debito quisque honore fruatur (22). Metu si quis in regnando utatur, eum habiturum etiam, cur cives metuat (23). Nihil non facinoris in lucem protrahendum esse, sed ita ut rex clementia malit quam saevitia in puniendo uti (23). Imperium enim non saevitia sed auctoritate et consilio juvari (24). Bello providendum esse apparatu et scientia militari, paci justitiae amore. Cum civitatibus infirmioribus ita agendum esse, ut potentiores nobiscum agere cupiamus (24). Non de omnibus rebus dimicandum, sed de iis, unde, si viceris, proficias (25). Magnanimos esse non qui majora appetant, sed qui pulchra et honesta consequi gestiant, et quae susceperint peragere possint (25.) Non aemulandos esse, qui maxima imperia habeant, sed qui iis, quae habeant, optime utantur, neque quemquam moderationis expertem beatum fore (26). Amicos eligendos esse tum fide dignos tum in republica versatos. Suos enim cujusque mores ex amicorum moribus ponderari (27). Libere qui profiteantur, quae sentiant, ab adulatoribus discernendos,in mendaces autem pariter atque in facinorosos animadvertendum esse. Sibimet ipsi cuique ante omnia imperandum, eorumque quaerendam consuetudinem, qui maximo cuique ornamento sint (29). Gloriam non captandam esse in iis rebus, quas mali quoque consequantur, sed in iis, quarum nemo malus compos fieri possit. Indoles, faciendum esse, ut plus admirationis consequatur quam fortuna (30). Consilio et temperantia potissimum effici, ut exempla reliquis imitanda exhibeantur (31). Posteris magis famam secundam quam magnam opulentiam relinquendam esse, hominumque existimationem magis virtutibus regiis quam externo splendore parari (32). In factis non magis quam in verbis nihil non vitiosi cavendum; temeritatem vero tarditate saepe perniciosiorem esse (33). Gravitatem conjungendam esse cum urbanitate, ita tamen, ut et arrogantia et humilitas fugiatur (34). Quod opus sit ad disciplinam et humanitatem, in philosophia pariter atque in usu vitae quaerendum (35), neque privatorum hominum exempla fastidienda esse. Virtutis gloriam summi faciendam neque mortem honestam turpi vitae praeferendam esse (36). Regis imprimis esse, ut dignitatis usque memor, immortalem sui memoriam relinquat (35). Bene dicendi facultate effici, ut dictis etiam convenienter sentire et cogitare aliquis discat. Sapientes non censendos esse, qui verbis callidissime digladiari, sed de maximis rebus qui dicere optime possint, neque eos, qui quum ipsi miseri sint, alios tamen bea-

tos se redditaros esse polliceantur, sed qui res adversas aeque ac secundas constanter perferant.

In his praeceptis quamquam non desunt, quae ad homines etiam privatos referri possint, regem tamen esse, in cujus usum perscripta sint, nusquam negligitur, neque de privatorum hominum virtutibus sermo est, nisi ita ut easdem etiam regum esse appareat. Vix igitur in mentem cuiquam venire poterat, ut illorum praeceptorum ambitum aliis quibusdam interpositis augeret, quin regibus quae praecipienda essent, et ipse in oculis haberet. Sed ejusmodi quoque suspicioni ipsorum illorum ratio refragatur. Praecepta enim illa quo quis accuratius spectaverit, eo clarius intelliget, non aliis ea convenire nisi iis regulis, in quorum Nicocles numero fuit. Quorum imperium quamquam generis passim et vetustate et nobilitate nitebatur, non ita tamen stabilitum esse solebat, quin non modo cives suos sed etiam consanguinitate cum ipsis conjunctos, si quos subjectos haberent, atrocissimis suppliciis afficiendos esse nec nisi crudelitate et saevitia regnum obtineri posse censerent. Iidem vero ut de firmando ita etiam de ornando saepenumero cogitabant imperio, vel doctorum hominum usu, vel mercaturae commerciis, vel aditu peregrinis hominibus patefaciendo, quorum sive artium sive literarum studiis proficerent. Jam vero si ii ipsi loci, qui in oratione de antidosi non reperiuntur, regulorum illorum, qualis etiam Salaminiorum ille tyrannus fuit, conditioni vel maxime conveniunt, vix est sane, quod ex ipsa cohortationis natura liberiori cuidam interpolationi locum fuisse in oratione ad Nicoclem perscripta statuas.

Quo minus autem credibile est, exstitisse seriore quodam tempore, qui suis quibusdam additamentis, quae praecepta fuissent Salaminiorum regi, augeret et amplificaret, eo verisimilius est, Isocratem ipsum, quum de antidosi orationem scriberet, praeceptis illis non usum esse, nisi delectu quodam instituto et resectis iis, quae minus convenire judicaret.

Ac primum quidem cavendum erat, ne legentium sive audientium patientia abuteretur, praesertim in ea re, quae fortasse per se ipsa populo Atheniensium minus probaretur. Utut enim ad humanitatem, justitiam et moderationem adhortabatur Nicoclem, illa ipsa tamen cum tyranno consuetudo ita comparata erat, ut longum esse in illa, quam scripserat ad eum, paraenesi referenda minus aptum esse videretur. Gravissima igitur quaeque, ne sententiarum nexus dissolveretur, si relinquebantur, auctoris satisfactum esse consilio videbatur. Sed aliae quoque causae accedebant, in ipsorum illorum locorum, qui resecarentur, ratione quaerendae. Rejicienda enim videbantur, tum invidiosa quaecunque putarentur, tum Nicoclis rationes quae penitius attingerent. De his tamen quid statuendum sit, copiosius dicendi copia erit in tertia commentationis parte, in qua illi ipsi loci, qui in orationis de antidosi exemplis omissi sunt, Benseleri potissimum ut suspiciones redarguantur, excutiendi erunt.

Benselerus enim quae contra fidem locorum orat. ad Nic., in oratione de antidosi omissorum, disputavit, aut inde repetita sunt, quod nexum sententiarum desiderabat, aut quod haec illa minus perspicue dicta esse existimabat, aut quod in verbis qui-

busdam et locutionibus, quas Isocrati non satis convenire arbitraretur, haerebat. Sunt autem hi loci, quos de interpolatione suspectos habuit: 1., § 19 *Οἴκει — καταλείψεις.* 2., § 20 inde a *Τίμα* usque ad extr. § 21. 3., § 22 *Ἅπασι μὲν* usque ad extr. § 23. 4., § 24 *Οὕτως ὁμίλει* usque ad extr. § 25. 5., § 26 *καὶ νόμιζε* usque ad *ἀτυχῆς*. 6., § 27 *Ἀκριβεῖς ποιοῦ — πράξωσιν.* 7., § 28 *Ἄκουε — λέγωσιν.* 8., § 29 *Μηδεμίαν — ἀλλ',* quae verba sequentibus ita excipiuntur *ἔθιζε σαυτὸν ἐπ' ἐκείναις ταῖς διατριβαῖς χαίρειν.* 9., § 30 *Νόμιζε τῶν τιμῶν — σπουδάζων.* 10., § 32 *Τρύφα μὲν — βουλεύσει* § 35 extr. 11., § 39 *χρῶ τοῖς εἰρημένοις ἢ ζήτει βελτίω τούτων* post *περὶ τῶν μεγίστων λέγοντας* leguntur, locum, qualis in orat. de antid. est, claudentes.

Ac § 19 edit. Bekkeri quae leguntur (*Οἴκει — καταλείψεις*), Benselerus judicavit tum nexum perturbare sententiarum, tum de regia magnificentia et liberalitate quae moneantur, iis, quae sunt § 20 de justitia, non satis respondere, deinde verba *Οἴκει — ἀκριβῶς* incommoda obscuritate laborare, neque *διαρκεῖν,* neque *ἀνάλωμα* alias apud Isocratem reperiri, *ἐν τοῖς προειρημένοις* etc. autem, quippe quod de justitia intelligendum sit, nihil significare posse nisi „magnificentiam quaere in justitia," quod absurdum sit, denique eandem sententiam repeti § 32. In quo illud primum cavendum esse videtur, ne sententiarum nexui in hoc orationis genere nimium tribuamus. Nam quum omnis illa *ὑποθηκῶν,* quae dicebantur, apud Graecos ratio ex ea repetenda esset aetate, quae unum fere magistrum usum vitae haberet, neque dum disciplinae severitatem nosset, de certa quadam via ad doctrinae rationes revocanda, sermo esse non poterat. Hesiodum igitur, Theognidem et Phocylidem si auctores maxime secutus est Isocrates, eadem ei componendi singula libertate uti licebat. Unde in iis, quae copulantur, sententiis nisi manifesta deprehenditur confusio, non erit, cur continuo eas male nexas et de interpolatione suspectas habeamus. § 19 igitur quae traduntur, si omitti licet salva sententiarum compage, et si ipse auctor postea in oratione de antidosi omisit, propterea tamen Isocrate non minus digna censenda sunt. Nec quae fertur a Benselero repugnantia esse inter ea, quae § 19 de regia magnificentia et liberalitate dicuntur et § 20 de justitia, vere deprehenditur. Neque enim apparatus (*κατασκευαί*), qui memorantur (§ 19), referri possunt ad sacrificiorum splendorem (*ἱερεῖα πολλὰ καταβάλλειν* § 20), neque *ἐν τοῖς προειρημένοις* ad justitiam, ut Benselerus judicavit, sed ad regia illa opera et instituta, ita videlicet comparata, ut non inanis quaedam brevique evanescens gloriola, sed constans et perpetuus nominis honos exoriretur. Non erat igitur, quod Benselerus interrogaret, quid sibi vellet illud „quaere magnificentiam in justitia." Denique *ἀνάλωμα,* in quo et ipso Benselerus haesitavit, quod alias apud Isocratem non legeretur, tunc tantum movere aliquam suspicionem posset, si insolens esset et inauditum apud Atticos scriptores vocabulum, a quo tamen, ut in horum mentione acquiescam, neque Xenophon neque Demosthenes abhorruerunt. (Xenoph. Mem. III, 6, 6. Demosth. de cor. § 102).

Omnino autem minus perspicue dicta esse censet Benselerus, quae a principio § 19 leguntur: *Οἴκει τὴν πόλιν ταῖς μὲν κατασκευαῖς λαμπρῶς, ταῖς δὲ πράξεσιν ἀκριβῶς.* Sed

οἰκεῖν pro διοικεῖν τὴν πόλιν vix opus est exemplis illustrare.[5]) Neque magis offensioni esse potest, qui adjunctus est dativus casus, simili plane modo usurpatus a Xenoph. Cyrop. VIII, 6, 7 πάντα ὁπόσοις ἂν οἶκος μέγας καλῶς οἰκοῖτο. Κατασκευὰς autem praeeunte Langio rectissime explicavit Koraës, dicens eas οὐ μόνον τὰς δημοσίους οἰκοδομὰς, οἷον ναοὺς, ἀγορὰς, λιμένας καὶ τὰ τοιαῦτα, ἀλλὰ γενικώτερον πάντα ὧν δεῖ τῇ καλῶς οἰκηθησομένῃ πόλει (Tom. II, p. 254). Cfr. Demosth. de Contrib. § 28, sive unde is locus originem cepit Olynth. III, 25 et in Aristocr. § 207. Isocr. Evag. § 44. Una difficultas est in voce πράξεσιν. Quam tamen jam Hier. Wolfius recte explicavisse videtur de tributis exigendis, in quo assentientem habet Koraëm, πράξεις explicantem τὰς περὶ τὰς προσόδους τῆς πόλεως.[6]) Diligentia igitur in hoc genere opus esse dicitur, ne desit ad instituta publica pecunia. Neque alia explicandi via relinquitur. Nam de rebus ipsis, quarum antea mentio facta erat, accurate gerendis et peragendis si cogitaretur, quod sequitur καὶ διαρκῆς non haberet, quo explicaretur. Verbi διαρκεῖν autem usus (ausdauern), de quo et ipse dubitavit Benselerus, satis defenditur loco Xenophonteo Cyrop. VIII, 6, 17 Σκεψάμενος γὰρ, πόσην ἂν ὁδὸν ἵππος κατανύτοι τῆς ἡμέρας ἐλαυνόμενος, ὥστε διαρκεῖν. Tanto veriorem autem puto explicationem illam, quod inde etiam apparet, cur Isocrates, quippe rei invidiam veritus, locum eum in orationem de antidosi recipere dubitaverit. Denique repeti sententiam, § 19 prolatam, § 32, neque demonstravit Benselerus, neque recte, puto, demonstrari potest. De hoc ipso autem loco paulo post accuratius dicendi copia erit.

Alterum illum locum, qui est § 20 Τίμα — § 21 extr. suspectum Benselerus habuit, quod aliena essent, quae in orat. ad Nic. interponerentur praecepta, quemadmodum amicos sibi aliquis conciliare posset et quibus rebus securitas principi quaerenda esset, quippe quae mox diligentius exponerentur. Multo concinniorem esse sententiarum juncturam in oratione de antidosi, ubi, postquam monitum esset, optimum et justissimum quemque etiam diis gratissimum fore, Nicocles continuo admoneretur, ut veritatis usque studiosus majorem fidem in nudis verbis quam alii in jurejurando ostenderet. Primum autem hoc non recte dixit, ad Nic. § 20 et 21 de amicis sermonem esse conciliandis, quum de imperio mutua inter principem et cives benevolentia vel stabiliendo vel servando agatur. Neque hoc alienum erat moneri, postquam justitia commendata est et priusquam veritatis studium et religio commendaretur. Singula vero si spectantur, verba statim, a quibus locus ille exorditur, Τίμα ταῖς μὲν ἀρχαῖς τῶν φίλων τοὺς οἰκειοτάτους, ταῖς δὲ ἀληθείαις αὐταῖς τοὺς εὐνουστάτους habent, in quibus aliquis haereat. Itaque quum summum usque Isocratis sit perspicuitatis studium, referre etiam hic locus inter eos possit, qui ab alio auctore profecti fuerint. De quo tamen ut recte judicetur, varietas ante omnia lectionis respicienda videtur. Locum qualem supra exhibuimus, talem Bekkerus eum, codicem Urbinatem secutus, constituit. Ante Bekkerum qui Isocratem ediderunt, e codicum plurimorum, qui tum excussi erant, auctoritate scripserunt: Τίμα ταῖς μὲν ἀρχαῖς τῶν

5.) Vid. locorum e Xenophonte laudatorum congeriem ap. Sturz Lex. Xenoph. T. III, p. 243.

6.) Cfr. Demosth. in Androt. § 27. in Dionysod. § 45.

τιμῶν τοὺς οἰκειοτάτους, ταῖς δὲ ἀληθεστάταις τοὺς εὐνουστάτους. Sed quum nescirent fere, quomodo illud ταῖς μὲν ἀρχαῖς τῶν τιμῶν defenderent, variae emendationes prolatae sunt. Neque ἀρίσταις vero et ἀρχικωτάταις, quae Hier. Wolfius proposuit, neque ἀργαῖς (voci ἀληθεστάταις ita oppositum ut otiosa et vana iis, quae veritatis pretio gaudent), quae Langii emendatio fuit, ita comparata sunt, ut difficultates loci expediantur. In contextum quam Koraës recepit lectionem, explicavit quidem, quamvis loci antea professus obscuritatem, ita ut diceret Tom. II, p. 17: *Ταῖς ἀρχικαῖς* (in contextu edidit *ἀρχαῖς*) *τῶν τιμῶν, τουτέστι ταῖς τιμαῖς, αἷς ἀρχή τις καὶ δυναστεία συνῆπται, τίμα τοὺς προσήκοντάς σοι τῷ γένει μάλιστα, ταῖς δὲ ἀληθεστάταις τιμαῖς, οἷόν ἐστι τὸ ἐπὶ συμβουλίαν παρακαλεῖν τινα, τὸ στεφανοῦν, ἢ δωρεαῖς τιμᾷν, τῶν καλῶς πεπραγμένων ἕνεκα, καὶ τὰ τοιαῦτα, τοὺς εὐνουστάτους,* sed quae offensio est in verbis potissimum *ταῖς ἀρχαῖς τῶν τιμῶν,* quibus oppositi sunt verissimi illi honores, eam non sustulit. Codicis Urbinatis quae lectio est, eum non fugerat, quippe quam ex alio quodam codice laudaret, sed reliquorum et codicum et editionum consensio prohibuisse eam videtur, quominus in contextum eam reciperet. Neque haec ipsa lectio ea est, quae nihil plane dubitationis admittat. Cujus quum haec sententia sit: „Magistratibus quidem ornandos cura inter amicos, qui necessitudine tecum conjunctissimi sunt, ipsius autem veritatis professione sive intimis animi sensibus aperiendis eos, quos benevolentissimos habes,“ duplici modo verba inter se opposita sunt. Primum enim de hominibus ornandis sive honorandis sermo est, quod fieri posse dicitur aut magistratibus sive imperiis deferendis, aut apertiore quadam fiducia, qua de veris animi sensibus nihil reticetur, deinde de amicis, qui vel necessitudine (*οἰκειότατοι*), vel benevolentia (*εὐνούστατοι*) alicui conjuncti sunt. In quo sane offensioni est, quod magistratus et imperia iis deferenda esse feruntur, quibus fidei minus habeatur. Accedit quod *ἀλήθειαι*, quamquam passim dicitur de ingenua veritatis professione[7]), hoc tamen loco antecedenti *ἀρχαῖς* oppositum, miro modo dictum videtur. Codicis autem Urbinatis lectionem missam facere et aut ad reliquos codices aut ad emendandum confugere, quam lubricum sit, a prioribus quae tentata sunt demonstrant. Tantum vero abest, ut propter offensiones illas sciolo cuidam hunc locum deberi statuam, ut in ipsius Nicoclis rationibus quaerendam esse caussam existimem, cur Isocrates ita dixerit, postea autem quum de antidosi orationem scriberet, hunc locum una cum sequentibus omiserit.

Regulorum, qui Salamine in Cypro insula imperium exercebant, non tutius regnum erat, quam reliquorum ejusmodi tyrannorum. Metus enim erat tum a Persarum regibus eorumque satrapis, tum a civibus suis, denique etiam ab ipsis propinquis et necessariis. Nicoclem, ex Isocrate constat, Evagorae filium fuisse (Evag. § 80 et 81), eundemque liberos habuisse (ad Nic. 38. Evag. 76), sed quemadmodum ad regnum pervenerit et quem exitum vitae habuerit, non ita certum est. Ut Diodorum Siculum omittam, a quo quae traduntur, minus perspicua sunt (XV, 47. XVI, 16. 42. 46), at e

---

[7]) Benseler ad Evag. § 5, p. 15 ibique quos locos attulit de pace § 138. 167. Evag. § 4 et de antid. § 260.

Theopompo (ap. Athen. XII, p. 531, D et Phot. p. 202 sq. cfr. Wichers p. 81. 86. 199) et Aristotele (Polit. v, 8 p. 180, 7, Goettlg.) tum Evagoram tum Nicoclem per vim e medio sublatos esse apparet. Itaque etiamsi hoc non traditum est, quos vel amicos vel adversarios habuerit Nicocles, tamen neque credere licet, Nicoclem tam moderate, ut Isocrates vult, regnasse, neque eum tutum ab insidiis fuisse. Quodsi igitur necessarios habuit, quibus facere quidem non posset, quin imperia quaedam et magistratus deferret, neque illos tamen satis certos et fideles, hi sane distinguendi erant ab iis, quos vera sibi benevolentia addictos haberet. Isocrates autem, paraenesin illam scribens, quum apertius dicere nollet, per transennam quasi monstrandum sibi esse judicavit, quae regi in hoc genere agenda esse censeret, quae etiamsi aliis obscuriora essent, at ipsum tamen regem fugere non poterant. Hoc vero modo quae scripserat, in oratione de antidosi repetere noluit, quippe quae nec intelligi satis possent nec ad ipsius pertinere defensionem viderentur.

Τοὺς δαπανῶντας (§ 21) quod ita sine objecto activa forma, num usurpari potuerit, Benselerus dubitat, patet levissimum esse. Vid. Xenoph. Mem. II, 1, 6. Demosth. de Chers. § 54, unde petita sunt quae leguntur Phil. IV § 56.

In tertio loco, qui omissus est in oratione de antidosi (ad Nic. § 22 et 23), iterum continentur, quae ad ipsum Salaminiorum principem pertineant. Cujus regnum si a saevitiae crimine non prorsus liberum erat, hoc plane suo loco dictum apparebit, quod imperium ne terrore et metu civium firmari credat admonetur.

Quarto loco (§ 25) verba potissimum *φαύλους ἡγοῦ μὴ τοὺς συμφερόντως ἡττωμένους, ἀλλὰ τοὺς μετὰ βλάβης περιγιγνομένους* minus perspicue dicta esse videntur, quamquam neque cum antecedentibus, in quibus ea tantum agenda esse traduntur, quae conducant ei, qui egerit, neque cum sequentibus discrepant, in quibus haec leguntur: *Μεγαλόφρονας νόμιζε μὴ τοὺς μείζω περιβαλλομένους ὧν οἷοί τ' εἰσὶ κατασχεῖν, ἀλλὰ τοὺς καλῶν*[a]) *μὲν ἐφιεμένους, ἐξεργάζεσθαι δὲ δυναμένους οἷς ἂν ἐπιχειρῶσιν.* Non contemnendi igitur dicuntur, qui in inferiore quidem sed eadem tamen commoda ipsis et salubri rerum conditione acquiescant, sed qui altiora petentes e victoria quoque plus damni quam emolumenti reportent. Quae si quis statuerit ad Nicoclis rationes ita pertinuisse, ut a quavis rerum gerendarum temeritate revocaretur, ejusmodi consiliorum ille fortasse non prorsus negligens exstitit, si quidem Diodoro fides est, qui XVI, 42 ad annum 352 a. Chr. insulam Cyprum diuturna pace gavisam esse narrat, quae pax, quum Nicocles paulo ante obiisset, non intelligi nisi de regno ejus potest. Isocrates quod suadebat Nicocli, eo fortasse pertinebat, quod pacem servari cum Persis etiam iniquioribus conditionibus satius erat quam bellum inire, cui regis non satis pares esset copiae, quodque ne Evagoras quidem sustinere potuisset.

---

[a]) *Καλῶν* an *μετρίων* legendum sit, dubitari potest; sed hanc ipsam ob causam, quod et unum et alterum habet, quo defendatur, recte fecisse Bekkerus videtur, quod in cod. Urbinatis lectione tuenda sibi constitit.

Quintus, sextus et septimus locus nihil difficultatis objiciunt. Sed manifesti interpretamenti vestigia Benselerus invenisse sibi videtur § 29. Qui locus quum in orat. de antid. p. 56 ed. Orell. ita legatur: Ἔθιζε σαυτὸν ἐπ' ἐκείναις ταῖς διατριβαῖς χαίρειν, ἐξ ὧν αὐτός τ' ἐπιδώσεις καὶ τοῖς ἄλλοις βελτίων εἶναι δόξεις, ad Nic. § 29 vero: Μηδεμίαν συνουσίαν εἰκῇ προσδέχου μηδ' ἀλογίστως, ἀλλ' ἐπ' ἐκείναις ταῖς διατριβαῖς ἔθιζε σαυτὸν χαίρειν, ἐξ ὧν αὐτός τ' ἐπιδώσεις καὶ τοῖς ἄλλοις βελτίων εἶναι δόξεις, importuna cujusdam opera factum esse Benselerus existimat, ut verba Μηδεμίαν συνουσίαν εἰκῇ προσδέχου μηδ' ἀλογίστως ἀλλ' interponerentur, tum demum sequentibus ἐπ' ἐκείναις ταῖς διατριβαῖς ἔθιζε σαυτὸν etc. In singulis tamen verbis iis non habet quod reprehendat nisi vocis διατριβαί usum. Quae vox quamquam pariter legatur in orat. de antid. atque ad Nic., hoc tamen interesse putat, quod in illa „studia" in hac „usum et consuetudinem" significet. Jam quum διατριβαί apud Isocratem tantummodo studia sint, altero illo usu locum suspectum reddi. Quod autem inter verba superiora legitur συνουσία, cui sane respondere debet ἐπ' ἐκείναις ταῖς διατριβαῖς non obstat tamen, quominus vertamus „sed iis studiis adsuesce gaudere," praesertim quum συνουσία aeque ac συνεῖναι rectissime dicatur de iis, qui discendi causa consuetudinem aliorum quaerunt. Mala igitur illa, quam suspicatur Benselerus, sedulitas non esset nisi ejus, qui quum antithetorum, a quibus captandis sane non alienus est Isocrates, studio penitius se insinuasset, talia summo dicendi artifici invito quoque obtrudere voluisset, quae quam inanis sit ratio, nemo non videt. Causa omnino si afferenda est ejus rei, quae incuriae etiam cuidam tribui possit, verisimilius illud fuerit, Isocratem jam aetate provectiorem[9] dicendi illud genus minus curavisse.

Restant adhuc, in quibus orationis de antid. p. 56 et 57 qualis contextus est differt ab ipsa ad Nic. oratione § 30 Νόμιζε — σπουδάζων, § 32 Τρύφα μὲν — § 35 extr. et § 39 ubi quaedam vel omissa vel alio loco posita sunt. Quorum locorum quem primum laudavi, non intelligo, quo jure a Benselero dicatur sententiarum nexum perturbare. Nicocles enim postquam admonitus est, ut gloriam solo in virtutis studio quaereret, hoc studii num persequi recte poterat, si vel inanem quandam virtutis laudem, civibus suis metu extorquendam, quaesivisset, vel rebus etiam minus honestis passim laetatus esset? His autem etiam sequentia respondent, quae sunt in orat. de antidosi: Μὴ τοὺς μὲν ἄλλους ἀξίου κοσμίως ζῆν, τοὺς δὲ βασιλέας ἀτάκτως etc.

In altero illo loco (§ 32) sane mira est, quae verbis Τρύφα μὲν ἐν ταῖς ἐσθῆσι etc. continetur, luxuriae in vestitu et externo corporis habitu commendatio. Longe praestantiora certe sunt, quae ad Demon. § 27 praecipiuntur: Εἶναι βούλου τὰ περὶ τὴν ἐσθῆτα φιλόκαλος, ἀλλὰ μὴ καλλωπιστής. Ἔστι δὲ τὸ φιλοκάλου μὲν τὸ μεγαλοπρεπές, καλλωπιστοῦ δὲ τὸ περίεργον. Ac videri quidem possit ex sequentibus ἵν' οἱ μὲν ὁρῶντες διὰ τὴν ὄψιν ἄξιόν σε τῆς ἀρχῆς εἶναι νομίζωσιν magnificentiam quandam in ornando corpori commendari, prae-

---

9) De antid. § 9 οὐκ ἀκμάζων ἀλλ' ἔτη γεγονὼς δύο καὶ ὀγδοήκοντα. Aliam vero Isocratis senis, aliam aetate florentis fuisse rationem, demonstrat ipse Philipp. § 27. Panath. § 2. 3. 86.

sertim si quis Xenophon Cyrop. VIII, 1, 40 et 41 quae de Cyro narravit, reputaverit. Sed cur luxuriari (τρυφᾷν) regem oportere dixit in vestibus? Nonne media quaedam via teneri potest inter luxuriam et externi habitus incuriam? Pro τρύφα autem difficilius fuerit aliam quandam vocem, sententiae convenientiorem, substituere. Nam si quis v. c. σεμνύνε conjiceret, hoc nimis alienum esset a forma vocis. Praestare igitur videtur legi Μὴ τρύφα, ut haec sententia sit: Noli quidem luxuriari in vestibus et externo corporis ornatu, sed reges uti decet, persevera in reliquis studiis, ut te qui vident propter conspectum dignum imperio esse existiment, tecum vero qui vivunt propter animi robur eandem cum illis de te sententiam habeant. Ubi omne rei momentum in eo positum est, ut recte intelligatur, quae sint reliqua studia regibus convenientia, quibus efficiatur, ut tum ipse eorum conspectus verecundiam quandam incutiat, tum ingenii robur familiaribus potissimum conspicuum sit. Sunt autem illa studia maxime quae ad virilem dignitatem pertinent, regibus ante omnia sectandam. Quae, Ciceronem si audimus, eximie de ea praecipientem (de off. I, 36, 130), quaerenda non solum in virtute est, sed etiam in forma, gestu et motu, in quibus ut rectissima quaeque sint et simplicissima, ita maxime laudari ait. Ad haec igitur quae conferenda studia videntur, sunt ἐπιτηδεύματα illa, in quibus Nicoclem Isocrates ita ut reges deceat, perseverare jubet.

Perspicuitatis praeterea, qua Isecratis insignis fuerit elocutio, studio minus respondere Benselerus existimavit § 33 quae leguntur: Κράτιστον μὲν τῆς ἀκμῆς τῶν καιρῶν τυγχάνειν, ἐπειδὴ δὲ δυσκαταμαθήτως ἔχουσιν, ἐλλείπειν αἱροῦ καὶ μὴ πλεονάζειν· αἱ γὰρ μετριότητες μᾶλλον ἐν ταῖς ἐνδείαις ἢ ἐν ταῖς ὑπερβολαῖς ἔνεισιν, maxime propter vocis ἐνδείαις usum. Verbis tamen iis si qua subest obscuritas, pertinet ea non solum ad illud ἐνδείαις sed ad totum, quo usus est orator, dicendi genus, ad usum igitur vocabulorum ἐλλείπειν et πλεονάζειν atque ἔνδειαι et ὑπερβολαί. Horum enim si alterum dici potuit, alterum quoque dici potuisse necesse est, et inter ἐλλείπειν (deficere) et πλεονάζειν (abundare) quae oppositio est, eandem etiam inter ἐνδείας et ὑπερβολάς esse apparet. Aristot. Eth. Nic. II, 6 ὃ μήτε πλεονάζει μήτε ἐλλείπει. Dio Cass, LVII, 14 ἵνα μήτε τοῦ θέρους ἐλλείπῃ μήτε τοῦ χειμῶνος πλεονάζῃ (H. Steph. Thes. v. ἐλλείπειν). Isocrat. de pace § 90 οὔτ' ἐν ἐνδείαις οὔτ' ἐν ὑπερβολαῖς ὄντες. Plat. Protag. p. 357, B. μετρητικὴ φαίνεται, ὑπερβολῆς τε καὶ ἐνδείας οὖσα. Nimium igitur quod est, vocibus πλεονάζειν et ὑπερβολή, parum vocibus ἐλλείπειν et ἔνδεια significatur. Itaque quum optimum hoc praedicetur, rerum suo tempore uti opportunitatibus, hae tamen quum difficiliores saepe cognitu sint, additur praestare, si quis minus, quam par sit, quam si quis plus faciat; mediocritates enim propius abesse ab iis, qui deficiant in agendo, quam ab iis, qui modum excedant, sive magis peccare qui temeritate agendi praeoccupet rerum opportunitatem, quam qui tardior sit, quam ut tempestive ea utatur.

Denique neque verba § 38 extr. χρῶ τοῖς εἰρημένοις ἢ ζήτει βελτίω τούτων suo loco movenda, neque quae leguntur § 39 inde a verbis μηδὲ τοὺς usque ad ἐπισταμένους pro suppositiciis habenda esse crediderim. Superiora enim verba illa quod in oratione de antidosi clausulam eorum faciunt, quae ex orat. ad Nic. laudata sunt, in orat. ad Nic. ipsa paulo ante leguntur, eo ipso explicandum est, quod reliqua quae supersunt § 39 omissa

sunt. Posteriora autem orator, qnum de antidosi scriberet, omisisse videtur, quia verbis antecedentibus σοφοὺς νόμιζε μὴ τοὺς ἀκριβῶς περὶ μικρῶν ἐρίζοντας ἀλλὰ τοὺς εὖ περὶ τῶν μεγίστων λέγοντας satis et suam ipsius de maximis rebus bene dicendi facultatem praedicavisse et ab aliorum inepto de rebus ludicris et minutis rixandi studio dehortatus esse sibi videbatur. De quorum simulata sapientia quid erat, cur plura in medium proferret, praesertim quum paulo post ad eandem rem redire sibi proposuisset? De antidosi autem § 193, ubi copiosius ea pertractavit, utitur maxime perscripta olim contra sophistas oratione, in qua quae § 3 referuntur, his quae sunt ad Nic. § 39 tam accurate conveniunt, ut Isocratea simul ratio facile appareat.

